

Matthias Stein


**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Matthias Stein/ I. U. D. & Codicis Prof. Publ. Ad SS: Paschatis Festum Rite Celebrandum Et Resurrectionem Domini Salvatoris Nostri Jesu Christi Pie Relegendam Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos, ea, qua fast est, humanitate, excitat : [Publ. Sub Sigillo Rectoratus d. 9. Ao. 1699.]**

Rostochii: Weplingius, [1699]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734010354>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

—  
1699. Ostern

~~M-1256. 75. a.~~

Off. 1699

PROGRAMMA  
QVO

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

MATTHIAS Stein/

J. U. D. & Codicis Prof. Publ.

AD  
SS: PASCHATIS FESTUM  
RITE CELEBRANDUM

ET  
RESURRECTIONEM DOMINI AC  
SALVATORIS NOSTRI



JESU CHRISTI

PIE RECOLENDAM

*Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos, eâ, quâ  
fast est, humanitate, excitat.*



ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

M 1256. 75. a.



E Populo Romano refert Plu-  
tarchus , quod de Romuli, He-  
rois illus fortissimi, & urbis suae  
Conditoris, inopinato obitu a-  
cerbissimè doluerit, inprimis,  
cum nesciret, utrum naturali  
morte, an verò clam illatâ qua-  
dam violentiâ interiiisset, si qui-  
dem subito & improvisò è con-  
spectu hominum discesserat, nec  
amplius sub tensum oculorum  
cadebat. Quidam ex populo exi-

stimabant, quòd saepe invito Senatu multa fecisset, Senato-  
res ac patricios Rom. consilium iniisse de eo interficiendo,  
eumque re ipsâ clam populo de medio sustulisse. Nonnul-  
li perhibebant, habito armilustrio fulgura & tonitrua subi-  
tò esse exorta, Romulumque de caelo fulmine tactum oc-  
cubuisse. Senatus Rom. populo persuadere maximè  
nitebatur, quod, sicuti Romulus fuisset filius Deorum, &  
de caelo descendisset, sic quoque vivus in caelum rursus as-  
sumptus, & in numerum Deorum relatus esset. Erant ex  
populo, qui huic senatus narrationi fidem habebant, plurimè  
verò de eâ dubitabant, longè aliud cogitantes. Hæsitanti-  
bus autem & maximo cum mœrore hæc de re conflictan-  
tibus fere omnibus, in publicum prodit patricius quidam,  
Rom: nomine Julius Proculus, Vir spectata fidei & auto-  
ritatis, referens, Romulum sibi in itinere Albâ Romam rede-  
unti apparuisse, & quidem formâ quâdam, ac antea habue-  
rat, longè præstantiori, & iussisse, ut, quoniam nunc, ex-  
pediâre, propter quam in mundum missus fuisset, scilicet  
ut imperii Romani initium faceret, in numerum Deorum rur-  
sus assumptus esset, ipsum divino in posterum honore pro-  
sequerentur, si hunc dominatum suum factum tectumque  
conservari vellent. Hujus tam nobilis tamque conspicui  
Viri commemorationi fidem habuere Romani, persuasi Ro-  
mulum

mulum laicum vivum in caelum erectum, & in numerum  
Deorum relatum esse; quare in honorem ejus templum ex-  
struxerunt, quod Quirinale appellarunt, in quo Quirinum  
sive Romulum hunc divino honore afficerent. Splendi-  
da sane, & hominibus in vanitate mentis suae versantibus, co-  
gnationem habentibus obscuram, & ab alienatam à vitâ Dei,  
propter ignorantiam, quae est in iis, ex obduratione cordis eorum.  
Eph. 4. 17. 18. dignissima fabula. Nos C. O. O. H. quos Gra-  
tia divinae Veritatis per revelationem Verbi, & Evangelii præ-  
dicationem, sit Deo gloria! clarius illuxit, meliusque in-  
struxit, hic nihil, quod vel speciem aliquam veritatis præ-  
se ferret, deprehendimus; nescimus enim unquam extitisse  
hominem (præter quos Scriptura memorat) qui mortem non vi-  
deri (Psal. 89. 49. Nescimus quoniam de caelo descendisse,  
aut in caelum ascendisse, aut in consortium Dei caeleste  
adscitum esse, præter Christum, Dominum & Salvatorem  
nostrum, auctos; qui verâ fide in eum in caelum ascendere-  
runt Hebr. 2. 5. Nemo, inquit ipsa substantialis Veritas Joh.  
3. 13. ascendit (sc. ex propriis naturæ viribus, aut ex merito  
operum suorum) in caelum, nisi qui descendit de caelo, nempe  
Filius hominis, qui est in caelo. De hoc Domino & Salvatore  
nostro sumus certissimi, eum verè de caelo venisse Joh. 6. 38.  
unde & Dominus de caelo 1. Cor. 15. 47. ac Oriens ex alto Luc. 1. 78.  
dicitur. Hic non modò à Patre exiit, & in mundum venit Joh. 16. 28.  
sed & Magister seu Doctor à Deo venit Joh. 3. 2. Dominus eum misit  
ad Evangelizandum El. 61. 1. Imo ad opus Redemptionis pera-  
gendum Gal. 4. 4. seq; Sicuti verò de caelo & à Deo ve-  
nerat, sic quoque peracto, ad quod missus erat, opere, mun-  
dum relinquens, ad Patrem rursus verè rediit Joh. 16. 28. in  
caelum ascendit Act. 1. 9. 10. ii. & consedit ad dexteram Patris  
Marc. 16. 19. 1. Petr. 3. 22. Non credimus hoc uni Proculo, li-  
cet spectatae fidei, nihilominus tamen fallaci, sed verbo ipsi-  
us Dei veracissimo, credimus tot testibus omni exceptio-  
ne majoribus, non modò amicis & sanctis Dei Viris, sed &  
infensissimis hostibus Salvatoris nostri, qui omnes (licet hi  
posteriores inviti) magnâ vi reddiderunt testimonium Resurre-  
ctionis Domini Jesu Act. 4. 33. quod testimonium ipse Dominus  
pluribus

*luribus sequentibus signis confirmavit.* Marc. 16. 20. Credimus denique tot martyribus, qui Resurrectionem & Vitam Domini potest mortem, etiam sanguine suo confirmarunt, ut reliqua planè invicta, quæ ipsa Resurrectionis Historia suppeditat, argumenta ac testimonia, quæque jam olim, cum eadem officii ratio id efflagitaret, attigimus, nunc prætermittamus. Sanè, si de Jesu Salvatoris nostri, quem elapsis hinc diebus pro salute nostrâ passum & verè mortuum esse intelleximus, vitâ & Resurrectione, imo toto exaltationis statu, non essemus certiores, quàm illi Romani de vitâ & exaltatione Romuli sui, essemus miserimi mortalium, hæc enim est optima & firmissima fidei nostræ anchora, hæc fides Christianorum propria, dicente Augustino, quod credimus, Christum post exantatos dolores mortis acerbissimos revixisse, & a mortuis resurrexisse tertiâ die. Nisi hæc de re certi essemus, tota fides periclitaretur, & omnis spes nostra esset inanis. Audiamus hinc Paulum, ita ille 1. Cor. 15. 14. 17. 18. *Si Christus non resurrexit ex mortuis, inquit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra, adhuc sumus in peccatis nostris, & qui obdormierunt in Christo, perierunt.* Clarissimis hisce verbis Apostolus, positâ hæc hypothesi, Christum non resurrexisse, totam Religionem Christianâ destruit, & omne hominibus solatium eripit. *Si Christus non resurrexit, inquit, inanis est prædicatio nostra, credimus autem prædicationem verbi divini non esse inanem, sed potentiam Dei ad salutem.* Rom. 1. 16. *Et omnem Scripturam divinitus inspiratam utilem esse ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitiâ, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfecte instructus* 2. Tim. 3. 16. 17. Credimus firmiorem esse sermonem Propheticum, cui merito attendimus 2. Pet. 1. 19 imo, efficaciam & penetrantiorē quovis ancipiti gladio Ec. Hebr. 4. 12. Credimus magnam habere prædicationem Verbi efficaciam ad afficiendos hominum animos, ad consolandos pios in afflictionibus &c. Act. 16. 14. Ps. 119. 50. & 92. Sed omnis hæc vis Verbi corrui, negatâ Resurrectione Christi, & sic inanis

inanis sit prædicatio; nam Christus est fundamentum præ-  
dicationis Evangelii, aliud fundamentum, inquit Apostolus,  
1. Cor. 3. 11. nemo ponere potest, præter id, quod positum est, quod  
est Jesus Christus? fundamento autem hoc destructo, qui,  
quod ei superstruitur, consistere posset? Hinc & Aposto-  
lus l. c. prædicationi etiam porro jungit fidem nostram, *ina-*  
*nis*, inquit, *est & fides nostra*, quia eidem superstructa est fun-  
damento; *superstructi enim sumus super fundamentum Apostolo-*  
*rum ac Prophetarum, cujus imus angularis lapis est ipse Jesus*  
*Christus, in quo totum ædificium congruenter coagmenta-*  
*tum* &c. Eph. 2. 20. De fide autem nostrâ aliâs possumus  
& debemus esse certissimi, & multis quoque modis de eâ  
divinitus sumus confirmati; at si Christus non resurrexit,  
inanis est fides nostra; quid enim est, quod abs Christo no-  
bis promittimus, hæc duo potissimum: remissionem pecca-  
torum, & Vitam æternam, quod sc: passione & morte suâ  
nos à peccatis nostris, omnibusque, quibus per peccata ob-  
noxii eramus, liberaverit, & Resurrectione suâ æternam vi-  
tam acquisiverit; sed, si Christus non resurrexit, inquit porro  
Apostolus, *adhuc sumus in peccatis nostris, & qui obdormierunt*  
*in Christo, perierunt.* Si enim moriens resurgere nequivisset,  
*neque peccatum fuisset sublatum, neque mors ipsa deleta*, judice  
Theophylacto. Quid autem, quæso, nobis prodesset Christus  
quid passio, licet acerbissima, quid mors, licet ignominio-  
sissima ejus, nisi inde haberemus remissionem peccato-  
rum, nisi spem æternæ salutis? in peccatis nobis nihilomi-  
nus pereundum fuisset, cum ab iis nullo alio modi libe-  
rari potuissemus, nam si Christus non resurrexisset, esse-  
mus adhuc in peccatis nostris, & proin in æternum neces-  
sariò periissemus, licet pro nobis passus & mortuus esset. Et  
quid solatii nobis ejus passio & mors, imo tota ejus obedi-  
entiam activa, quàm passiva afferret, si tantum hanc  
vitam respiceret, nec alia vita post hanc per Christum nobis  
esset exspectanda? Addit Apostolus l. c. v. 19. *si in hac solum*  
*vita speramus in Christum, miserissimi omnium hominum sumus;*  
at si Christus non resurrexit, alia vita post hanc non datur,  
*pererunt*


pererunt enim qui in Domino obdormiunt i. e. in verâ fide moriuntur, dicente Apostolo. Et qui membra Spirituales corporis Christi, scilicet fideles, resurrectionem sibi promittere possent, ipso Capite non resurgente, aut qui æternam vitam sperare possent, si Christus perpetuò mansisset in morte, nec suâ Resurrectione aliam sc. æternam vitam inchoasset aut aperuisset. Videmus ergo, quanti momenti sit hic de Resurrectione Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi articulus, quod scilicet ab eo maxima, ne dicam omnis spes nostra pendeat; quare operæ pretium erit, si in hisce diebus festis, cum in cœtibus sacris, tum domi, animos nostros in illo magis magisque confirmabimus, ut pro re indubitata atq; certissima, sicuti vere est, eum habeamus Profectò non sunt narratiunculæ quædam, aut commenta hominum, ut illa Gentilium de Hercule, Romulo, Orpheo &c. quando hodie Verbi divini Ministri magnâ voce prædicant Christum à mortuis resuscitatum, sed ipsissimam prædicant veritatem, sine fraude, sine fucò. Licet quidem rationi humanæ sibi relicta, nec illuminata, aut falsis ac præconceptis opinionibus fascinata absonum ac stultum, imò planè impossibile videatur, hominem mortuum reviviscere & resurgere, ut patet ex Act. 25. 19. c. 26, 24. nihilominus tamen sunt *vera ac sobria verba* I. c. v. 25. quæ hoc de argumento, secundum normam Scripturæ, in ecclesia resonant & proferuntur. Et qui cui nostrum absonum aut impossibile videri posset, Christum à mortuis resurrexisse, qui juxta monitum Apostoli 2. Cor. 10. 5. *captivam ducimus omnem cogitationem nostram ad obsequendum Christo*; potius id absonum ac impossibile nobis videri dixerim, quod ei contrarium est, mortuum sc. Christum in morte potuisse retineri ac non resurgere. Expressis verbis id indicat Petrus in Actis 2. 24. ubi ait: *Deum excitasse Christum solutis doloribus mortis, eò quod impossibile erat, ipsum ab eâ retineri*; quod & ipse Salvator satis clarè innuit Luc. 24. 26. & 46 in quibus nonne hæc oportuit Christum pati, & introire in gloriam suam; quibus verbis significare vult, tam Exinanitionis, quàm Exalta-

Exaltationis statum Christo non fortuitò, sed necessariò  
contigisse, quod sc. necessariò passus ac mortuus sit, &  
necessariò quoque à morte rursus resurrexerit. Et hanc  
necessitatem quidem Resurrectionis Christi animadver-  
timus, respicientes primò ad Personam ipsius. Quis erat  
ille quem mors absorpserat, eratne ipse *aternus Dei Filius in-*  
*carnatus* Matth. 16. 16. c. 27. 54. *quin ipse Deus* Act. 20. 28. *Dominus*  
*Glorie* 1. Cor. 2. 8. *Dominus super omnia* Act. 10. 36. *Dux vitæ*  
Act. 3. 15. *Verbum vitæ* 1. Joh. 11. *ipsa Vita* Joh. 14. 6. c. 11. 25.  
*Iustus & immaculatus, sine omni labe peccati* Ef. 5. 8. 10. & 12.  
1. Petr. 2. 22. *Sanctus* Luc. 1. 35. Imo, *Sanctissimus* Dan. 9. 24. *Cui-*  
*us etiam Caro est sancta* Pl. 16. 10. *est vivifica, quam qui edit, ha-*  
*bet vitam æternam* Joh. 6. 51. & 54. Sed quí hæc tanta Perso-  
na potuisset in morte manere, aut à morte retineri? Est  
ne possibile filium Dei viventis, æternum mori? *per Resur-*  
*rectionem* igitur Christus necessariò declarandus erat *Filius*  
*Dei* Rom. 1. 4. *Deus habet Vitam in se ipso, & vivificat mortuos*  
Joh. 5. 21. & 26. hoc Christus se ipsum vivificando de se  
demonstraret, necesse erat, unde non modò dicitur, eum  
à Deo *resuscitatum* Rom. 6. 4. & alibi passim; sed & *resur-*  
*rexisse* sc: propriâ suâ Virtute Divinâ Marc. 16. 6. quæ non  
est alia, quam quæ ipsi communis est cum Patre & Spiri-  
S. quamque etiam in ipsâ morte servavit, de quâ ipse loqui-  
tur Joh. 10. 17. 18. *Ego pono animam meam, ut eam rursus as-*  
*sumam; nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso: po-*  
*testatem habeo eam ponendi, & rursus assumendi.* Conf. Joh.  
2. 19. Et quí Dominus Gloriæ in morte hæc ignominie  
plenissimâ manere, quí Dominus super omnia, etiam supe-  
ipsam mortem, morti succumbere, quí Dux ac verbum Vitæ,  
quin ipsa Vita, Virâ depositâ, in æternam mortem trans for-  
mari potuisset? quí mors, quæ est *pendium peccati* Rom. 6. ult.  
& tantum in homines peccatores transit Rom. 5. 12. justum hunc,  
Sanctum, imo Sanctissimum æternum auferre & secum reti-  
nere potuisset? Hinc orat. Messias Pl. 16. 10. *Non derelinques*  
*animam meam in inferno, nec permittes, Sanctum tuum videre*  
*corruptionem.* Dicitur hoc non de Rege Davide, sed Christo  
accipiendum, ipse Spiritus S. per os Petri, pluribus evincit,  
Act. 2.

Act. 2. 25. seq; itemq; Pauli Act. 13. 34. seq; dicentis: quod  
DEUS excitaverit Christum à mortuis, non amplius reversurum  
in sepulchrum, ita dixit: Non fines Sanctum tuum sentire cor-  
ruptionem; Nam David quidem cum suâ aetate infervisset, Dei  
consilio obdormivit, & adjunctus est Patribus suis, sensitque cor-  
ruptionem, at is quem Deus excitavit, non sensit corruptionem.  
addo: nec sentire potuit, quia Sanctus Dei erat. Et tandem  
quî ille, Cujus caro erat vivifica, quique in extremo die  
mortuus erat resuscitaturus de terrâ & daturus vitam æternam,  
Job. 19. 25. Joh. 6. 39. seq; c. 11. 25. in morte manere potu-  
isset? annon necesse erat eum reviviscere & à morte re-  
surgere? Eadem illa Resurrectionis Christi necessitas fa-  
tis porro conspicitur ex ipso Decreto Trininitus Dei, qua-  
tenus illud nobis in S. literis proponitur ac revelatur. De-  
stinatus nempe erat Filius Dei ad mortem, non ut perpetuò  
maneret in morte, sed ut inde rursus ad vitam rediret &  
resurgeret; id quod haud obscure innuit Esaias cap. 53. 11  
seq. Item ex innumeris vaticiniis, tam clarissimis Scriptu-  
ræ dictis, quibus Resurrectio Christi prædicitur, quàm typis  
ac figuris, quibus ea in Veteri Testamento præfiguratur,  
quæ omnia necessariò erant implenda; quare & aliter fieri  
non potuit, Christus necessariò resurgere debuit. Hoc ma-  
ximè facere potest ad corroborandam fidem nostram,  
quando scilicet scimus, Dominum & Salvatorem nostrum  
non modò verè resurrexisse à morte, sed & nec aliter fieri po-  
tuisse. Sicuti verò hâc de resursum certissimi, sic quoque  
meritò hodie lætemur cum cætipiorum, & reddamus  
grates Deo nostro pro beneficiis nobis per Resurrectionem  
Christi partis, simus quoque memores spiritualis resur-  
ctionis nostræ, ut sicuti ipse à morte excitatus est, per  
Gloriam patris, sic nos quoque in novitate vite  
ambulemus Rom. 6. 4.

Publ. Sub Sigillo Rectoratus  
d. 9. Ao. 1699.





Exaltationis statum Christo non fortu  
 contigisse, quod sc. necessariò passus  
 necessariò quoque à morte rursus refur  
 necessitatem quidem Resurrectionis  
 timus, respicientes primò ad Personam  
 ille quem mors absorpserat, eratne ipse  
*carnatus* Matth. 16. 16. c. 27. 54. *quin ipse Deus*  
*Glorie* 1. Cor. 2. 8. *Dominus super omnia*  
*Act. 3. 15. Verbum vite* 1. Joh. II. *ipsa Vita*  
*Iustus & immaculatus, sine omni labe peccati*  
 I. Petr. 2. 22. *Sanctus* Luc. 1. 35. Imo, *Sanctiss*  
*ius etiam Caro est sancta* Pl. 16. 10. *est vivifica*  
*bet vitam aeternam* Joh. 6. 51. & 54. Sed qui  
 na potuisset in morte manere, aut à mo  
 ne possibile filium Dei viventis, aeternu  
 rectionem igitur *Christus* necessariò *delecta*  
*Dei* Rom. 1. 4. *Deus habet Vitam in se ipso,*  
 Joh. 5. 21. & 26. hoc Christus se ipsum  
 demonstraret, necesse erat, unde non  
 à Deo *resuscitatum* Rom. 6. 4. & alibi  
*rexisset* (c. proprià suà Virtute Divinà Ma  
 est alia, quam quæ ipsi communis est cu  
 S. quamque etiam in ipsâ morte servavit  
 tur Joh. 10. 17. 18. *Ego pono animam mea*  
*sumam; nemo tollit eam à me, sed ego pono*  
*testamentum habeo eam ponendi, & rursus assu*  
 2. 19. Et qui Dominus Gloriæ in morte  
 plenissimâ manere, qui Dominus super o  
 ipsam mortem, morti succumbere, qui Du  
 qui ipsa Vita, Virâ depositâ, in aeternam n  
 mari potuisset? qui *mors, quæ est stipendium*  
 & tantum in homines peccatores transit Rom.  
 Sanctum, imo Sanctissimum aeternum auf  
 nere potuisset? Hinc orat. Messias Pl. 16.  
*animam meam in inferno, nec permittes, Sa*  
*corruptionem.* Dicitur hoc non de Rege D  
 accipiendum, ipse Spiritus S. per os Petri,

essario  
 sit, &  
 hanc  
 adver  
 s erat  
 us in  
 minus  
 e vite  
 11. 25.  
 & 120  
 4. Cu  
 t, ha  
 erso.  
 Est  
 resur  
 Filius  
 rtuos  
 de se  
 eum  
 esur  
 non  
 spiri  
 pqui  
 us af  
 : po  
 Joh.  
 inia  
 ipe  
 Vita,  
 for  
 ult.  
 unc,  
 reti  
 ques  
 idere  
 risto  
 icit,  
 ct. 2.

